

De prognosi ex lingua in quibusdam morbis formanda ... / [Christian Wilhelm Pauli].

Contributors

Pauli, Christian Wilhelm.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hilligeri, [1748]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/trc87a2h>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

7
DE
PROGNOSI EX LINGVA
IN QVIBVSDAM MORBIS
FORMANDA

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO,

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOS. NATVRAE PROFESS. PVBL. ORDIN.
FACVLT. MEDICAE H. T. DECANO, IMPER. ACADEM.
NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE ET COMITE
PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

D. OCTOBR. A. S. R. MDCCXLVIII.

H. L. Q. C.

IN REGIA FRIDERICIANA

DISPVTABIT

CHRISTIANVS WILHELMVS PAVLI,
MAGDEBVRGICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.

93929

VIRO.

EXCELLENTISSIMO. DOCTISSIMO.
EXPERIENTISSIMO.

D O M I N O.

IOANNI. DANIELI.
KESLERO.

MEDICINAE DOCTORI. CELEBERRIMO.
PHYSICO. PROVINCIALI. MERITISSIMO.

MILITVM. PRAESIDIARIORVM. VT. ET. COLO.
NIARVM. PALATINARVM. NEC. NON. GAL.
LICARVM. MEDICO.

COLLEGII. MEDICI. MAGDEB. SODALI.

AFFINI. SVO. PLVRIMVM.
HONORANDO.

HASCE. THESES. INAUGVRALES.

IN

DEVOTISSIMI. CVLTVS. TESSERAM.

ET.

SVI. STVDIORVMQVE. SVORVM.
COMMENDATIONEM.

D. D. D.

CHRISTIANVS. WILHELMVS. PAVLI.

VIRDO

EXCELLENCE IN DOCTRINE

EXPERIENCE

D. O. M. I. K. O.

IOANNES DANIEL

KESSLER

MEDICINAE DOCTOR, CEFERAMMO

PHYSIC, PROVINCIAL MEDICUS

MILITARY SURGEON, AT THE COLONY

MARKHAM, BALTIMORE, MARYLAND

ILLUSTRATE MEDICUS

COLLEGIUM MEDICI MAGISTER, SODALIS

ACTING SURGEON-GENERAL
HONORARIO

IN THE ARMY OF THE UNITED STATES

BY

JOHN C. W. T. T. T.

ET

STYLUS VIOLETUS
COMMITTIT

D. O. M.

CHRISTIANUS WILHELMUS RAVEL



Ex quo, Excellentissime
Domine Doctor, affi-
nitate mihi coniunctus
fuiſti, nil mihi potius
fuit, quam vt occasio mihi commo-
da offeratur, ſingularem TVVM
erga me amorem, nec non ſingulare
TVVM

TVVM studium, me, quibuscun-
que rebus possis, iuuandi, publice
testatum faciendi. Hinc non potui
non, quin praelentem occasionem,
obseruantiam meam & animum
TIBI deuinctissimum testaturus, ob-
uiis vlnis exceperim. Accipe igitur
hasce inaugurales Theses ea bene-
uolentia, qua obseruantia easdem
offero, hoc subiuncto voto, vt
gratia diuina consiliis TVIS aequae
ac auxiliis se semper comitem prae-
beat: TE ipsum vero, cum splen-
didissima familia, felicem ac sospi-
tem quam diutissime conser-
uare velit.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
PROGNOSI EX LINGVA
IN QVIBVSDAM MORBIS FORMANDA.

PROOEMIUM.



*M*ibi de specialissima materia tra-
ctanti, nimirum de prognosi
ex lingua in quibusdam mor-
bis formanda, in memoriam in-
cidit symptoma illud, morbillis
infantum epidemicis in Anglia
familiare, quod & Medici & ad-
stantes boni exitus praeuncium
habent, de quo *STDENHAM* ita: Praetereo

in praesentiarum ingens illud solatium, quod adfert venaesectione infantum *PERTUSSIS*, in qua remedia quaelibet pectori dicata longo post se linquit intervallo; *vid. eiusd. Opp. Sect. IV. Cap. V. Vocatur haec tussis Anglis chin-cough, vel hooping-cough. Gravem hunc Auctorem versantes non fugit, quod in variolis ac morbillis infantum venaesectionem imperaverit, experientia multiplici edoctus, quod bene cesserit, infecutura in morbillis tussi boni ominis. Haec tussis, si quid video, in censum excretionum referenda, quae, ceteris paribus, morbum indicant, uti v. g. salivatio in variolis confluentibus, vel alia excretionis criticae species. Num vero hoc climati nostro scriptum, non diiudico, limatioris iudicii Viris id relinquendo. Hinc plura non addens, & thematis mei memor, accingo me ad illius tractationem, Deum comprecatus, ut omnia cedant feliciter!*



§. I.



Tantum non omnia in statu hominis praeternaturali *boni* vel *mali praesentis indicia* praebent, vel *venturi praesaga* sunt, quibus Medici, non quasi hieroglyphicis microcosmicis, sed signis sensu cognitis & notis, iudicium de morbi vel felici, vel ferali euentu superstruunt, quodue *prognoseos* nomine venit.

§. II.

Cum vix non omnia prognosi formandae apta sint, non mirum, si Medici vilioris momenti aliis fortan visa, sicque praeteruisa, in vsum prognosticum vertere sciant. Medicorum quis negat, multa in *sensibus externis* huic fini respondentia sita esse? Quam multa in *oculis* aegrotantium sita sunt, quae ad formandam prognosin valent. *Oculi primum moriuntur*; CAMERARIUS *Memor. Cent. XIV. Part. 28. Viuentium, morientium oculi non iidem; ibid. Cent.*

XIV. Part. XXIX. omnes quoque animi affectus detegunt, ibid. Cent. VII. Part. XX. Si oculi in cynanche vertuntur, & veluti iis, qui strangulantur, prominent, mors in propinquo est; Illustr. b. m. HOFFMANNVS Med. syst. Tom. III. Sect. I. Cap. XV. §. XIV. Si in febribus feroces, truculenti, torui, exserti, delirium portendunt; HIPPOCRATES Aph. Sect. IV. 19. Excellent. IVNCKERVS Semeiol. Tab. XIII. p. 588.

§. III.

Cuinam quaeso! suboluerit modo, Medicos nares ita perfricuisse suos, ut morbi euentum odorari didicerint. *Odor* enim, quem spirat aeger, Medico iudicium de morbi euentu suppeditat, indeque BAGLIVIVS ex eo non solum se iudicare solere, vtrum morbus facilis vel difficilis, brevis vel diuturnus, vel alterius generis futurus sit; sed etiam aegros, qui morituri sunt, nonnullis ante mortem diebus veluti cadaverosum exhalare foetorem, asserit, in *Praefat. Tract. de Fibra motrice & morbosa p. 8.* Sic quoque terram quidam oluit, apud BORELLVM *Cent. IV. Obseru. 8.* & paullo post fatis cessit, vnde dein etiam GARMANNVS, in puella febre consumta, ex *fracido terrae odore* instantem mortem certe praenunciavit; vid. *Ephemer. Nat. Cur. Dec. I. Ann. I. Obs. 144.* Hinc etiam in cachexia, si inter alia signa e corpore aduersus odor spirat, mortem aliquot mensibus ante praenuntiare licebit, teste Illustr. b. m. HOFFMANNO *Med. system. Tom. III. Sect. I. Cap. XV. §. XIX.*

§. IV.

de Prognosi ex lingua in quibusdam morbis formanda. 7

§. IV.

Quam vario modo porro *facies* aegroti, eiusque *color* exitus morbi index sit, egregie demonstrarunt Illustr. b. m. STAHLIVS, *Diss. de facie morborum indice* & Excellent. QVELMALZIVS, *Dissert. de Prosoposcopia medica*. Sic flauedo obstructionem hepatis arguit, teste WEPFFERO *Obs. p. 420*. Cuicunque hydropico ascitico *facies* derépende plumbea euadit, mors ostia pulsat, BAGLIVIVS *Opp. Lib. I. p. 78*. In magnis morbis optima *facies* optimum, in paruis pessima, pessimum, iuxta HOLLERIVM *Coac. ex HIPPOCRATE*. Hydrope pectoris vel abdominis, vel cachexia laborantibus, si *color faciei* rubicundus, siue mediocriter bonus, derépende mutetur in luridum & plumbeum, aeger repentina morte morietur paucis elapsis diebus, aut mense ad summum, BAGLIVIVS *l. c. p. 139*. Si in acutis & perniciosis febribus *facies* multum recesserit a statu naturali, periculum time in aegro, Idem ille *l. c. p. 146*. Si inflammatio in necrosin, siue sphacelosam putredinem, transit, inter alia signa hoc subindicat *vultus foedus ac pallens*, qui tunc comparet, HOFFMANNVS *l. c. p. 347*. Si in cholerico morbo *facies* flauescit, vel pallescit, in ancipiti aegrum versari inter alia significat idem hic grauissimus Auctor *l. c. p. 349*. Si in hydrope (inter alia) *facies* flauescit, mortem aliquot menses ante, quam accedit, haud dubie praesagire licet, *ibid. p. 351*. Imo, quod vix credant alii, ex aegrorum *unguibus* Medici non fallax augurium dare possunt. Si enim in acutis aeger *ungues* pallidos habet, hora adest decreto-

cretoria, HOFFMANNVS *l. c. p. 345.* Si in phthificis, inter alia nimirum signa, *ungues* pallent, funestus euentus diu ante colligi potest, *ibid. p. 352.* Si *ungues & digiti* liuescunt in febre, mors confestim expectanda est, notante HIPPOCRATE *Prognostic. f. 6. Coac. 493.* Confer. etiam Excell. IVNCKERI *Semeiol. Tab. XIII. p. 594. n. 83.* Taceo alia.

§. V.

Hinc non est, quod ob huius specialissimae materiae tractationem caperatum aliorum frontem perhorrescam. Nec, ut spero, putet quispiam, me casu, in inusitatum quid pruriens, eam arripuisse, sed destinato consilio elegisse.

§. VI.

Absoluant vero hanc tractationem I) *historiola huius prognoseos*; II) *morborum recensio*, in quibus locum inuenit, & III) *scrutinium causarum*, cum subiunctis *rationibus*.

§. VII.

Ante vero, quam ad primum momentum progredior, praefandum esse duxi, quod pro obiecto hic loci non habeam prognosin ex lingua, si idiopathicis morbis corripitur, uti varii dantur, quibus, testantibus obseruatoribus crebraque experientia, lingua adficitur, ut sunt linguae excrescentia, ab HORSTIO *Part. II. Lib. IV. obs. singul. 13.* descripta; linguae cancer, in *Annal. phys. med. Wratislaniens. Tentam.*

de Prognosi ex lingua in quibusdam morbis formanda. 9

*tam. XXIX. p. 149. explanatus; linguae vlcerosae durities, a RVYSCHIO Obs. 76. notata; fistula, in A. N. C. Dec. II. Ann. II. obs 52. adducta; ardor & siccitas extra febres, a BOOTIO Tr. de aff. omiff. C. 8. exposita; tumor cum folliculo, a WEPFERO Obs. p. 950. propositus, &c. quippe in quibus, & aliis adhuc linguae morbis, ex ipso, quo adficitur, morbo, prognos formanda est; sed primarium huius tractationis obiectum est *prognosis* ex lingua, diagnosi ex eadem non exclusa, quatenus sub aliis morbis *symptomatice* patitur, & quae diuersa linguae constitutio illi *consecutiue* tantum superuenit, ita vt lingua non quidem sui, sed morbi in corpore saeuientis, tam status, quam euentus praebat indicium; vti etiam ex hac vel illa linguae constitutione aegrum non mori oportet, sed ob morbum, cuius symptoma est, lethaliter euenturum, cuius indicem tantummodo sese oculis sistit.*

§. VIII.

Quod nunc ad *historiolam medicam* huius prognoseos attinet, certe! non heri aut nudius tertius enata, aut ficta est. Diuus medicinae parens, artis prognosticae facile princeps, HIPPOCRATES, illius iamiam mentionem facit, vt *libr. VI. Epid. Sect. V. Prorrhet. I. 3. 11. 19. 20. Coac. 229. 231. 234. 383. 384. 400. &c.* GALI NVS in *Comment. in Hippocr.* CELSVS, *Proth. CASVLANVS* de lingua, qua maximum est morborum acutorum signum; *Aemil. CAMPOLONGVS* in noua cognoscendi morbos methodo; *Thom. FIENVS, FERNELIVS, ARETAEVS, Iac ALBER-*

TI, NELLANVS, GLACANVS, HVGGETIVS, IESSENIVS, PRAEVOTIVS de *signis medic.* Io. Thom. & Io. Georg. SCHENCKII, WOLFFIVS, *Exercitat. Semiotic.* LIDDELIVS de *signis medic.* SYLVIVS de *sign. medic. Prosp.* ALPINVS, ARGENTERIVS, Roderic. a CASTRO, SCHRAEDERVS *Exercit. III. de sign. med. §. 25.* WEDELIVS *Exercitat. Semiot. patholog. it.* SYDENHAM & BAGLIVIVS, variis locis infra citandis, b. noster HOFFMANNVS, Excellent. ALBERTI, IVNCKERVS, alii.

§. IX.

Praeterea Medici non in historica recensione acquiescunt, nudam illius mentionem faciendo, sed insuper eam valdopere commendant, dum hac ratione infans aegrorum lingua Medicum in praedicendo disertum saepe reddere possit. In testem huius rei vtor Cel. BAGLIVIVM, qui *Opp. Lib. I. Cap. XIII. p. 137.* haec habet: *In morbis nunquam ab aegro discedas, nisi linguam inspexeris. In malignis febribus prae ceteris consideranda sunt, lingua, &c. l. c. p. 141.* Idem Auctor meminit, Medici esse, vt, inter alia, in indagandis morborum causis ad ea respiciat, quae per oculorum fidem se manifestant, vt *linguae adfectiones*, ib. *Lib. II. c. IX. p. 210.* Et *ead. pag. infra: Lingua prae ceteris subindicabit intimiorem morborum sanguinis statum, &c.* Imo inter desiderata in arte diuina reponit *historiam diagnosticam, prognosticam adfectionum linguae*, p. 195. coll. p. 425. Sic etiam Excell.

de Prognosi ex lingua in quibusdam morbis formanda. II

cell. noster IVNCKERVS: *Quoties aliquid de morbo iudicare vis, toties inspicienda erit lingua, l. c. p. 590. n. 50.* Plura huius census infra.

§. X.

Deuoluor nunc ordine dicendorum ad alterum Dissertationis membrum, nimirum ad *morborum recensionem*, in quibus prognosis ex lingua formanda locum obtinet, & rationum physiologico-pathologico-practicarum calculo inueniri potest.

§. XI.

Haud equidem, quod lubenter largior, in *omnibus* aequemorbis *indiscriminatim* illa formari potest; interim tamen bene multi sunt, qui, & non sine rationibus, hanc formatam medentium prognosin admittunt.

§. XII.

Hi vero e tribu praesertim illorum morborum sunt, qui *malignorum*, sicque *februm malignarum* nomine Medicis veniunt.

§. XIII.

Varii sunt his in morbis *linguae colores*, variaeque illius *conditiones*. Et fane B. L. haud displicebit, vt, quae potioris momenti visa, ex Medicorum scriptis, Auctoribus vbique fideliter citatis, sine plagii suspitione & crimine, colligam, inque compendio exhibeam.

§. XIV.

Sicuti vero omnis prognosis supponit diagnosin, qua deficiente omnis praedictio incertior, quam eorum, qui coelo abutuntur; ita lingua diagnosi non minus, quam prognosi formandae inseruit, testantibus id Clariss. Auctoribus passim in Diff. hac citatis. Instar omnium allego BAGLIVIVM: *Nunquam ab aegro discedant Medici, inquentem, nisi prius linguam inspiciant, utpote quae lymphae sanguinisque statum certius, quam alia signa, nobis ostendit, l. c. Diff. II. p. 425. Lingua prae ceteris subindicabit intimiorem morborum sanguinis statum, l. c. p. 230.* Sed cum obiectum primarium sit prognosis ex lingua, hinc ad eam progredior.

§. XV.

Ex lingua ergo prognosis non tantum praesentis, sed & imminentis morbi formari potest. Id constitit iam, ex observatione, BAGLIVIO: *Saepe expertus sum, inquenti, eos, qui proximi sunt, ut in febrem, vel grauem viscerum, & praecipue naturalium affectum incidant, plures ante dies, nulla in parte euidentius, quam in LINGVA, futurae affectionis signa percipere: in qua, loco naturalis saporis, amarum, viscidum, acidum, aut salsum, &c. observant, l. c. p. 423.*

§. XVI.

Omniū autem maxime inprimis praesentis morbi indolem & genium manifestat lingua, & quidem

de Prognosi ex lingua in quibusdam morbis formanda. 13

dem 1) *in febris*. In omnibus namque febris, & aliis morbis, illud BAGLIVII valet: *Lingua sordida ubique suspecta*, l. c. p. 139. *Bona lingua, semper bonum indicat; mala, semper suspecta, semper timenda*, ib. p. 425. Sic etiam diuus HIPPOCRATES varias iamiam consignavit prognoses de lingua in febris, quarum potiores sunt sequentes: *Pallida lingua* ex bilis fit redundantia, *rubicunda* a sanguine, *nigra* ab atra bile, *alba* e pituita, *Epid. VI. Sect. V. 13.* *Lingua* ex reficcatione *densa & aspera*, *phrenitidem* venturam subindicat, *Prorrh. l. 3. Coac. 234.* *Lingua* si circa initium *horrida*, & procedente morbo *liuescit*, *finditur*, *mortis* praenuncia est, *Coac. 229.* *Lingua nigra*, & ex virore *pallescent*, *pestimi ominis* est, *ibid.* *Lingua tremula mentis inconstantiam* denotat, *Prorrh. l. 20.* *Lingua* praeter rationem *mollis ac nauseabunda*, cum sudore frigido, ab aluo liquida, *nigri vomitus* significationem adfert, *Coac. 232.*

§. XVII.

Porro quoque si *delirium* imminet, vel sub actuali delirio, *lingua balbutiens & plerumque tumescens*, *aridaque & sicca* obseruatur, notante BAGLIVIO, l. c. p. 256. Si in *febris ardentibus lingua balbutiens*, prognosticare poteris breui *delirium*, iuxta eundem l. c. p. 102. qui etiam *aphoniam* in acutis, vndecunque fit, instantem denunciare mortem tradit, l. c. p. 78. *Tremores* vero insoliti *linguae* inter signa *malignitatis* referendi sunt, in acutis, teste BOERHAAVIO *Instit. Med. §. 919.*

§. XVIII.

Similiter etiam RHAZES iam notavit, quod, si in acutis in *lingua pustulae* adpareant, cicerum magnitudinem aequantes, sequentis diei *mortem praenunciant*. *Lingua* vero *sordida*, *alba*, vel *albo muco obducta*, *febrem continuam* significat, iuxta FIENVM. Conf. etiam Excell. IVNCKERVS in *Semiologia*.

§. XIX.

Si in *febris petechialibus lingua arida, discissa, nigricans*, adparet, inter illa signa est referenda, quae *funestum euentum* praesagiunt; HOFFMANNVS *Med. ration. system. Tom. IV. P. I. Sect. I. Cap. XI. §. V. p. 259*. In peste Attica, quam THVCYDIDES *Lib. II. de bello Pelopon.* describit, mentio fit *linguae sanguinolentae*; vid. HOFFMANNVS *ib. p. 285*. In *febre ardente*, siue *causo*, *lingua* est *arida, fissa & nigra*, teste HOFFMANNO *l. c. p. 343*. HIPPOCRATES *libr. de affect.* dicit, quod in hac febre *lingua* sit *aspera ac nigra*; & ARETAEVS *libr. II. Cap. IV.* quod *arida* notetur.

§. XX.

In *angina* exteriori *lingua extra dentes & labia* prominet; ARETAEVS, *libr. I. Cap. IX*. In *angina vera* *lingua sanguine* turget, *obscuro rubicundo colore tincta*; HOFFMANNVS *l. c. p. 395*. In *prunella alba* *muco albo lingua oblinitur, fissurasque dolorificas contrahit*, Idem *l. c.* In *angina humida* *lingua crasso, viscido muco obducitur*; HOFFMANNVS *l. c. pag. ead.* conf. *Obs. IV.* huius *Cap.*

§. XXI.

§. XXI.

In *hectica* febre *lingua sicca, dura & arida* est; HOFFMANNVS *l. c. p. 554.* Aegrotantibus, si *frigida lingua* obseruetur, in acutis, aut aliis lethalibus morbis, paulo post *superuenit mors*; RIVERIVS *obseru. communic. a PAQVEVO Obs. I.* BAGLIVIVS *l. c. p. 145.* Nos etiam (addit BAGLIVIVS) idem obseruauimus aliquoties.

§. XXII.

In *febris mesentericis*, si in *hypochondriacis* sunt, studiosis, & stomacho debili laborantibus, statim adparere videbis *linguae ariditatem*; BAGLIVIVS *l. c. p. 52.* In aliis *lingua est viscida, glutinosa & ingrati saporis*; si autem vel minima suspicio acuti & inflammatorii morbi, tunc in iisdem febribus & subiectis fit *arida*, *ibid. p. 707. & p. 708.* Talis etiam in *semitertiana*, itemque in *lipyria* occurrit, *ibid. p. 55. & 56.* Nigra autem *lingua in acutis* fere semper post se trahit *delirium*, quemadmodum *linguae inflammatio*, si *dysentericis* superuenit, lethalem denotat exitum, teste eodem Auctore, *l. c. p. 102. & 109.*

§. XXIII.

Quum magnum illud inter Medicos Anglos fidus, doctissimus nempe SYDENHAMIVS, omnium calculo improbae in describendis febribus epidemicis diligentiae Obseruator fuerit, animus est, ex
ipsum

ipsius quoque monumentis *historiam linguae* conquirendi modoque adductis adiiciendi.

§. XXIV.

Sic sub constitutione epidemica Ann. 1661. sq. *Sect. I. Cap. III. p. 13. Edit. in 8. symptoma* (inter alia) *febrium autumnalium tertianarum, lingua magis nigra siccaque* fuit. His tertianis, ut & quartanis, succedebat *febris continua*, quae aegrotos inter alia *linguae nigredine* (conf. p. 14.) adoriebatur. Et *Cap. IV.* ubi Auctor de eadem *febre continua* horum annorum ulterius agit, ipse miratur, quod vomitu (ante prouocato) peracto, symptomata, & speciatim *linguae nigredo*, soluta fuerint. Porro *Sect. III. Cap. III. p. 125.* sub *febre continua* ann. 1667. seq. *lingua sanorum similis* non raro comparuit, nisi quod quandoque *albida*, rarissime *sicca*, nunquam vero *nigra* fuerit. Sed sub usu cardiacorum & calido regimine, haec noua linguae acciderunt: *Lingua*, quae alias *humida* solebat esse, neque a sanorum lingua, nisi quod, ut diximus, subalberet aliquantisper, multum abhorrens, *sicca* in hoc regimine *arefactaque*, quin & *nigra* saepe comparebat, p. 131. Deinde *Sect. IV. Cap. III. de Dysenteria* ann. 1669. seq. p. 141. haec extant: Aeger, si vel aetate floreat, vel cardiacorum ope incalcescat, febricitat, *lingua quadam mucilagine dense obsita*, & si vehementius excalefactus, *nigra* etiam, atque *sicca*. *Ibid. Cap. IV. p. 152.* sub *febre continua* ann. 1669. - 72. quae una cum dysenteria praeced. exorta, *lingua* ita constituta fuit: *Linguae aegrorum,*
licet

de Prognosi ex lingua in quibusdam morbis formanda. 17

licet *humidae*, atque *albae*, *crassa insuper pellicula oblinebantur*. Ibid. Cap. V. Morbilli an. 1670. *lingua alba*, (non vero *ficca*) stipati erant, p. 158. Ibid. Sect. V. Cap. II. p. 184. & 185. *lingua ita adfecta erat: Lingua*, ubi febris suo genio erat permiffa, nec *ficca*, nec *a colore naturali multum recedens*, nisi quod *magis alberet*; quodsi excalefieret aeger, ultra ordinariam febris sortem, *lingua aridissima erat, cum flauedine subfusca*. Tandem in *schedula monitoria, de nouae febris ingressu*, seorsim de febre ann. 1684. faeuiente, Autor ratione *linguae* sequentia commemorat: *Lingua* aegri, pro ratione imperati regiminis (calidioris, temperatioris), vel *humida* est, vel *ficca*. Vbi inaruerit, *fusci est coloris in medio*, quam partem vndique cingit *fimbria inalbescens*. Vbi vero *humida* est *lingua*, *omni ex parte alba* est, *pellicula* item *scabra & alba vestita*; nam si aeger ab adhibito regimine plus iusto incalescat, *lingua fere est fusca & arida*; sin minus, *humida* est & *alba*, p. 488.

§. XXV.

Non tantum vero in febribus, sed & 2) *extra febres, in aliis morbis*, *lingua* hac vel illa ratione *praeternaturaliter adfecta* morbi interpretem se praebet. Licet autem adparatus obseruationum tam instructus non sit, quam quidem in febribus, tamen instituti ratio exposcit, vt, quantum licet, huic momento satisfaciam.

§. XXVI.

Speñat huc locus BAGLIVII, sequentis tenoris: *Caue, ne discedas ab aegro in cuiuscunque morbi curatione, nisi prius linguam inspexeris, praesertim si de internis inflammationibus suspicio fuerit, quas Tibi certissime explorabit lingua, utpote quae in minima inflammationum suspicione statim resiccare incipit, & crescente inflammatione crescit pariter & siccitas linguae, l. c. p. 255.* Non minus etiam huc referendus est vterque locus, ex eodem Auctore grauissimo iam supra §. XIV. & XVI. adductus.

§. XXVII.

In colica biliosa contingit saepissime *aphonia*; BAGLIVIVS l. c. p. 257. qui etiam, paucis interiectis, haec habet: *Aphonia non raro esse solet prodromus conuulsionum epilepticarum in colica.* Similiter quoque *tarantati* satis frequenter *aphonia* corripuntur, teste eodem BAGLIVIO, *Diff. 6. de Tarantula, p. 615. & p. 628.* Qua vero ratione lingua *scorbutum* indicet, notauit speciatim RIEDLINVS *Lin. med. Ann. I. M. Febr. Obs. VI. p. 39.*

§. XXVIII.

Tandem si *lingua derepente incontinens*, aut aliqua corporis pars *siderata* euadat, id atram bilem indicat, iuxta HIPPOCRATEM, *Señ. VII. Aphor. 40.* Conf. IVNCKERI *Semiot. Tab. XIII. n. 72. p. 603.* Si etiam oesophagi & ventriculi membranae nerveo-musculares stringuntur, inter alia, *linguae ariditas*

ditas adfligit; HOFFMANNVS *Med. ration. system.*
Tom. III. Sect. I. Cap. XV. §. VI. p. 345.

§. XXIX.

Haec sunt illae ex lingua prognoses, quas ex Medicorum monumentis colligere mihi licuit. Nul-
lus dubito, quin Lectori beneuolo, maiori librorum
adparatu instructo, longe plures hinc illinc sint ob-
uenturae. Has interim allegasse sufficiat, inprimis
cum instituti ratio me nunc ad *tertium* Dissertatio-
nis *momentum*, quod est *scrutinium causarum*, prope-
rare iubeat.

§. XXX.

Certe! tam praeclara *de prognosi ex lingua* for-
manda in Auctoribus prostant *elogia*, ut dubitaueris
ferme, an ad ornatum orationis, aut hyperbolicas
locutiones referenda sint? Qui fieri potest, ut na-
tura in tantulo membro penicillo quasi internum
morbi statum depingat, delineet oculisque subii-
ciat? Verum enim vero ex binorum praecedentium
momentorum tractatione adparet, quam magni omni
tempore Medici & antiquissimi, & recentiores & recen-
tissimi, prognosin ex lingua fecerint. Qui tantorum
in Medicina numinum & nominum fidem fugillare
possim? Ex multis in scenam prodeat *Proth. CA-*
SVLANVS: Maximum, adferens, *morborum acuto-*
rum signum esse linguam, *Lib. I. Opp. VII.* Quod
Excell. IVNCKERVS adsensu suo comprobat, dum
dicit, *linguam esse sedem omnium symptomatum, quali-*

tatis alteratae, excreti, & actionis vitiatae, l. c. p. 590. Inprimis autem haec illius verba notentur: Per visum intratantillum horae spatium plus observabit Medicus, quam ex repetitis nunciorum relationibus, epistolis, aut confusis propinquorum narrationibus. Promte enim ex constitutione - - LINGVAE - - - plura formare poterit praesagia, quae ad praenunciandam salutem, morbi durationem, euentus modum, aut ipsam mortem symbolam contribuunt, l. c. p. 356. Quam graphice linguae inspectionem commendat BAGLIVVS: In morbis, inquiens, nunquam ab aegro discedas, nisi linguam inspexeris: haec statum sanguinis prae aliis signis, & apertius, & certius nobis indicat; reliqua namque signa saepissime fallunt, haec autem nunquam aut raro. Et nisi sapor, color, aliaque linguae accidentia ad naturalem statum redacta sint, nunquam aegrum tutum dato adstantibus, aliter male consules nomini tuo, l. c. p. 137. Et ulterius huius prognoseos praestantiam significanter his describit verbis: Demum pro secreto tibi sit, Lector, me certiore de sanguinis statu indaginem aliunde non haurire, quam ex lingua; l. c. p. 211. Taceo plura.

§. XXXI.

Et addubitare desinent, qui putant, observationum horum Auctorum fidem laborare, si non praecipites & incauti, sed pensiculate mecum pro virili causarum scrutinium adeant, & cum effectibus causas commetiantur.

§. XXXII.

§. XXXII.

Lingua ex multis componitur partibus, magnoque vasorum adparatu superbit, ut musculis, membranis nerveis, arteriis notabilibus, venis, glandulis, ductibus salivalibus, & secundum COSCHWITZIVM, & du VERNEY, ductibus etiam lymphaticis.

§. XXXIII.

Multis & magnis *arteriis* instructa est, quae sanguinem suum ex carotidibus externis hauriunt, multoque sanguine linguam inundant.

§. XXXIV.

Accedunt *glandularum* fere myriades, vel *maiores*, ut tonsillae, parotides, maxillares, sublinguales; vel *minores*, *miliares* & *lenticulares* dictae, ut labiales, buccales, palatinae, uvulares, quae omnes illum maxime notabilem corporis humani liquorem, *salivam*, in os corriuant. Praeterea omnes hae glandulae salivam ex sanguine arterioso carotidum externarum secernunt.

§. XXXV.

Ex sanguine sanorum saliva sanis propria fecernitur, quae talis secreta particulis aqueis, subtilioribus salinis, gelatinosis, certa proportionem mixtis, constat; praeterea est humor dilutus, diaphanus, fluxilis, saporis odorisque fere expers, linguam nec

alieno sapore adficiens, nec colore praeter naturam tingens, sicque muniis suis obeundis aptissima est.

§. XXXVI.

Saliua sanorum in sinu suo recondit sanguinis arteriosi principia, per glandularum maeandros secerni apta.

§. XXXVII.

Possibilitas, quod principia sanguinis per glandulas in sinu salivae ex sanguine secerni possint, euincit possibilitatem, quod etiam aliae sanguinis arteriosi particulae, cuiuscunque sint indolis & effectus, in statu praeternaturali, per glandulas salivae secernendae proprias, cum ipsa saliuva secerni eidemque immisceri queant.

§. XXXVIII.

In morbis praecipue malignis, nec minus etiam in chronicis, particulae in sanguine numero variae, qualitate, indole, effectibus differentes, oberrant, ut sunt falsae, alcalicae, acres, semi-causticae, causticae, volatiles, malignae, acidae, salino-acidae, falso-sulphureae, contagiosae, agiles, sui multiplicatiuae, cito serpentes, putridae, quae solitarie tales, corpori periculum intentant, & motu intestino agitatae, consequenter peiorem indolem indutae, peioris adhuc effectus sunt.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Porro, qualis sanguis, talis secretio, & vice versa, talis secretio, qualis sanguis. Si enim in sanguine huius vel illius generis particulae sunt obviae, praefertim praedominantes, ut tales etiam cum saliva fecernuntur, & pro sui genio saporem linguae imprimunt, vel eam alias vario modo praeternaturaliter adficiunt, dum v.g. amari vel acidi praedominium, linguae saporem amarum, acidum, imprimit, vrentes particulae sensum vrentem in lingua excitant, & sic in ceteris.

§. XL.

Posthaec non pigebit, hancce demonstratiunculam summorum in Medicina Virorum calculo iterum comprobare. Audiamus BAGLIVIVM hac de re ita differentem: *Lingua prae ceteris subindicabit intimiorem morbose sanguinis statum. Si acidus sapor in ea redundaverit, acidam sanguinis, vel aliorum humorum ab eodem derivatorum constitutionem manifestabit; si salsus, salam; si amarus, amaram; si viscidus, mucosus & insipidus, talium partium copiam; si humida lingua fuerit, humidam, si sicca, ficcam & inflammatoriam diathesin; l. c. p. 250. sq. coll. p. 425. Eundem in modum BOERHAAVIVS scribit: Signa acrimoniae alcalinae sunt sapor, ut carnis, aut urinae putrefactae, Institut. medic. §. 952. Signa acrimoniae acidae, sunt sapor acidus, ibid. §. 953. Signa acrimoniae muriaticae, sunt sapor salsus, ibid. §. 954. Signa acrimoniae oleosae putrefactae, sunt sapor amarus, rancidus,*

cidus, acer, pinguis, ut ab oleo ambusto, vel putrefacto, fauces exurens, nidorosus, ibid. §. 915. Signa malignitatis in acutis intelliguntur ex symptomatibus malis, qualia (inter alia) sunt siccitas, sordities, albedo, flauedo, fuscus color, nigredo in ore, lingua, &c. ibid. §. 919. Os amarulentum cum aestu, biliosorum abundantiam, in primis viis restituentem, prodit. Vid. Excell. IVNCKERVS l. c. p. 590.

§. XLI.

Quod ad *alias linguae adfectiones* attinet, Pathologi commemorant, quod in morbis *gustus* vel *obtusus*, vel *deprauatus* fit, vel *plane deficiat*; vid. modo nominatus IVNCKERVS l. c. p. 549.

§. XLII.

In supra recensitis morbis *gustus* saepe *obtusus*prehenditur, ut aeger *sapidissima* vix *gustu* explorare valeat. *Ratio* quaerenda est partim in *ipsa saliva*: Haec enim in sanis subiectis, dotibus suis instructa, ceu *menstruum microcosmicum* non tantum in obiecta *gustabilia* penetrat, sed & eadem recludit, & optime *gustationis negotium* sustentat. In aegris omnia contraria. Organa enim *salivae sequestrandae* dicata languent, hinc etiam *saliva iners* secernitur, & propter *inertiam* languide etiam in *sapida obiecta* agit. Partim vero etiam *ipfarum papillarum neruearum oscilla* in lingua *mucos viscido obducta* & *incrassata* sunt, ut *sapidorum perceptio* praeepediatur.

§. XLIII.

§. XLIII.

Sentiunt proinde quoque saepius aegri *gustus depravationem*, quae eo procedit, ut obiecta sapida alium & contrarium referant saporem, v. g. dulcia amarum, falsum, &c. Etenim liquor in salivā praevalens obiectis sapidis allinit suum saporem, quem aliunde aduentitium & adscititium linguae imprimunt, sicque aegro imponunt.

§. XLIV.

Patiuntur tandem quoque non raro aegri *gustus defectum*. Huius phaenomeni variae quidem subesse possunt causae, potissimae tamen hae esse videntur. Ex principiis pathologico - practicis compertissimum est, quod motus maxime semper ad locum adfectum conuertantur, hocque facto partes a loco tali diffitae sese contrahant, imo ad spasticas stricturas sollicitentur; idem hoc quoque papillis linguae nervis accidit, quae contractiles ita stringuntur, ut nihil sapidi admittant, vel admittere queant. Eundem effectum habet comitem *linguae siccitas*: Papillulae enim nervae, aestu faeuiente, exsuccae, coeunt, & omne sapidum aditu praecludunt; ob salivae autem defectum dein etiam linguae omnis sapor perit.

§. XLV.

Non in derelictis habendi porro sunt *linguae colores*; sed hi altioris indaginis esse recte putantur:
D Licet

Licet enim clarissimi Auctores commendatissimam in obseruandis linguae coloribus locarint operam, vti ex toto Dissertationis tractu intelligi potest; attamen colorum linguae, sub morbis obseruari solitorum, causas sicco pede, quod praefiscini dixerim, praeteriere. Et qui mihi datum sit, illis explicandis parem esse futurum! Et Physicorum, & Mathematicorum, & Chemicorum ingenia colorum theoria exercuit. Quam mira colorum productio, productorum destructio, destructorum mutatio! Conf. NEWTON *de coloribus in Element. physico mathematic.* BOYLE *de coloribus*; BOERHAAVI *Chem. Part. III. Ed. in quart. p. 535. sq.* Quam multum negotii faceffunt Medicis colores, v. g. in *petechiis, variolis, purpura, vrina, adpectu externo, sanguine, reiectionibus per vomitum, pure, scybalis, alui fluxibus*, obseruabiles. Hic tantum nobis res est cum *linguae flauedine, albedine, nigredine.*

§. XLVI.

Quam varias subeant corpora ratione colorum mutationes, quae ex corporum actione, reactione, attritu, collisu, adfritu, mora, calore, motu intestino, illapsu, modificatione lucis, oriuntur, ex physico-chymicis fatis notum est. Num vero altius in modum fiendi introspicere liceat, aliis, quibus hoc datum est, relinquo.

§. XLVII.

§. XLVII.

Quod bilis linguam *flauedine* tingat, ex vitiis bilis & viarum secernendae bili dicatarum deriuari verisimile est. Quo spectat locus ex BAGLIVIO repetendus: *Sola linguae ariditas*, inquit, *cum flauedine, latentes vesicae, vel aliorum viscerum inflammationes aliquando detegit, quas alia signa vix manifestant, l. c. Dissertat. III. de experim. circa bilem, &c. p. 440.*

§. XLVIII.

Linguae nigredo, ceteris periculosior, restat. Observationum fide compertum est, hanc sub aliis malignitatis signis comparere, aestu intus furiente. Quam male talis aestus, tale sanguinis & humorum incendium in corpus consulat, neminem Medicorum latet. Cum enim omne humidum exfugat, mobilia dissipet, tardiora condenset, succos temperatos acres reddat, excoquat, exurat, salina fixiora, olea crassa, tenacia augeat, alia, BOERHAAVIVS *l. c.* §. 746. hinc fit, vt salua & ei inuoluta in ore sic excoquantur, vt in colorem liuido-nigricantem, tandem nigrum, abeant. Accedit, quod ob eiusmodi aestum, intus furientem, aer in pulmonibus incalescens tam feruidus redeat, vt ad parietes oris & linguam allabens, sub innumeris in- & expirationum reciprocationibus idem cum eodem effectu producat.

§. XLIX.

§. XLIX.

Calamum pono, hasce pagellas hoc additamento adhuc obsignans, quod nimirum prognosi huic ex lingua tantum pretium statuendum, quantum ei competit. Solitarie sumpta haud quidem omnem in diuinando absoluit paginam; sed Medicus omnino secundum historiam morbi completam, quae nunc temporis ad medicinam rationalem, & rectissime, absolutae necessitatis est, ad alia, quae ratione aetatis, sexus, temperamenti, vitae generis, climatis, epidemicae constitutionis, sensibilitatis personalis, & omnium aliarum individualium circumstantiarum obseruanda, animum curatius aduertat. His coniunctim sumtis prognosis ex lingua eo certior euadet.

T A N T V M.

